



DIE II. FEBRUARII.

Purificationis beatæ Mariæ

— ✻ — Virginis. — ✻ —

Si hoc Festum venerit in
Dominicis Septuag., Sexag.,
vel Quinquag., n̄ tantum
benedictio et distributio
Candelarum, et Processio :
et Missa dicitur de Dnica :

Missa vero Festi transfer-
tur in Feriam ij, immediate
sequentem, quocumque Fes-
to æqualis, non autem al-
tioris ritus in eam incidente.

¶ Finita Tertia, Sacerdos
indutus pluviali violaceo,
vel sine casula, cum mini-
stris similiter indutis, procedit
ad benedicendum Candelas
in medio ante Altare,
vel ad cornu Epistolæ positas :

et ipse ibidem stans ver-
sus ad Altare, dicit in tono
Orationis Missæ ferialis :

℣. Dñs vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Oratio.



Om̄i ne
sancte,
Pater
omni-
potens,
æternè
Deus,
qui om̄ia ex nihilo creá-
sti, et jussu tuo per ópe-
ra apum, hunc liquorem
ad perfectiõnem cerei
venire fecisti : et qui ho-

dierna die petitiõnem ju-
sti Simeonis implèsti : te
humiliter deprecámur ;
ut has Candelas ad usum
hómínium, et sanitátem
córporum et animárum,
sive in terra, sive in
aquis, per invocatiõnem
tui sanctissimi nóminis,
et per intercessiõnem
beatæ Mariæ semper
Virginis, cujus hódie fe-
sta devóte celebrántur,
et per preces ómnium
Sanctórum tuórum, bene-
dicere, et sanctificáre
dignéris : et hujus
plebis tuæ, quæ illas ho-
norifice in máribus desi-
derat portáre, teque can-
tádo laudáre, exáudias
voces de celo sancto tuo,
et de sede majestátis
tuæ : et propitiis sis
ómnibus clamántibus ad
te, quos redemisti pre-
tioso sángxine Filii tui :
Qui tecum vivit et re-
gnat in unitate Spiritus
sancti Deus : per ómnia
sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiternè Deus, qui hodièrna die Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti : tuam supplices deprecámur cleméntiam ; ut has Candelas, quas nos famulitui, in tui nómínis magnificéntiam suscipiéntes, gestare cupimus luce accénsas, benedicerè, et sanctificáre, atque lumine supérnæ benedictiónis accéndere dignéris : quátenus eas tibi Dómino Deo nostro offeréndo, digni, et sancto igne dulcissimæ caritátis tuæ succénsi, in templo sancto glóriæ tuæ representári mereámur. Per eúdem Dóminum nostrum. **K. Am.**

Oremus. Dómine Jesu Christe, lux vera, qui illúminas omnem hominem veniéntem in hunc mundum : effúnde benedictiónem tuam super hos Céreos, et sanctificá eos lumine grátie tuæ, et concède propitius ; ut sicut hæc lumínaria igne visibili accénsa noctúrnas depélunt ténébras ; ita corda nostra invisibili igne, id est, sancti Spíritus splendóre illustráta, ómnium vitiórum cæcitate cáreant : ut, purgáto men-

tis óculo ea cernere possimus, quæ tibi sunt plácita, et nostræ salutí utilia ; quátenus post hunc sæculi caliginósa discrimina, ad lucem indeficéntem pervenire mereámur. Per te, Christe Jesu, Salvátor mundi, qui in Trinitáte perfectá vivis et regnas Deus : per ómnia sæcula sæculórum. **K. Amen.**

Oremus. Omnipotens sempiternè Deus, qui per Móysen famulum tuum, purissimum olei liquórem ad luminária ante conspéctum tuum júgiter concinnánda preparáris jussísti : benedictiónis tuæ grátiam super hos Céreos benignus infúnde ; quátenus sic administrent lumen extérius, ut donánte, lumen Spíritus tui nostris non desit méntibus intérius. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. **K. Amen.**

Oremus. Dómine Jesu Christe, qui hodièrna die in nostræ carnis substantía inter homines appárens, a paréntibus in templo es præsentátus ; quem Simeon venerábilis senex, lumine Spíritus tui irradiátus, agnóvit, suscepit, et benedixit : præsta propi-

tius ; ut ejúsdem Spíritus sancti grátia illumináti atque edócti, te veraciter agnoscámus, et fídeliter diligámus : Qui cum Deo Patre in unitáte ejúsdem Spíritus sancti vivis et regnas Deus : per ómnia sæcula sæculórum. **K. Amen.**

¶ Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit Candelas aqua benedictá, dicéndo Antiph. *Asperges me*, sine cantu et sine Psalmo : et ter adoleat incenso. Tum dignior ex Clero accedit ad Altare, et ab eo Celebrans accipit Candelam non genuflectens, nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum distribuit Candelas, primum digniori, a quo ipse accepérat : deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, último laicis, omnibus genuflectentibus, Candelam et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælati, si adsint. Et cum inceperit distribuere Candelas, a Choro cantatur

Ana. Luc. 2. Lumen ad revelatióem géntium : et glóriam plebis tuæ Israel.

Canticum. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace.

Deinde repetitur tota

Ana. Lumen ad revelatióem géntium :

Quæ similiter repetitur post quemlibet Versum.

Quia viderunt óculi mei salutáre tuum.

Ana. Lumen.

Quod parásti ante faciém ómnium populórum.

Ana. Lumen.

Glória Patri, et Filio, et Spíritui sancto.

Ana. Lumen.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum.

Amen. **Ana.** Lumen.

His expletis cantatur

Ana. Ps. 43. Exsúrge, Dómine, adjuva nos : et libera nos propter nomen tuum.

Ps. 118. Deus áuribus nostris audivimus : patres nostri annuntiáverunt nobis.

V. Glória Patri.

Et repetitur *Exsúrge Dómine*.

Deinde Sacerdos dicit : *Oremus.* Et si fuerit post Septuages., et non in die Dominica, Diaconus dicit : *Flectámus genua.* **R. Leváte.**

Oratio. Exáudi, quæsumus Dómine, plebem tuam : et quæ extrinsecus ánnua tibus devotióne veneráris, intérius ásequi grátie tuæ luce concède. Per Christum Dñum nostrum. **K. Amen.**

¶ Deinde fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum : postea Diaconus vertens se ad populum, dicit : *Procedámus in pace.* Et Chorus

respondet : *In nōmine Christi. Amen.*

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis ; sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum Candelis accensis in manibus : et cantantur Antiphonæ sequentes.

Ant. Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe Regem Christum : amplectere Mariam, quæ est cælestis porta : ipsa enim portat Regem gloriæ novi lûminis : subsistit Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum genitum : quem accipiens Simeon in ulnas suas, prædicavit populus, Dōminum eum esse vitæ et mortis, et Salvatorem mundi.

Missæ Ant. Luc. 2. Respōsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dñi : et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Dōmine, in pace.

¶ Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur

¶ **V.** Obtulerunt pro eo Dōmino par turturum, aut duos pullos columbarum : * Sicut scriptum est in lege Dñi.

¶ **V.** Postquam implèti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Mōysi, tulerunt Jesum in Jérusalem, ut sisterent eum Dōmino. Sicut scriptum est.

¶ **V.** Glória Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut scriptum est.

¶ **F.** Finita Processione, Celebrans et ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et Candelæ tenentur in manibus accensæ : dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem. Si vero Missa fieret de Dominica, Candelæ non accenduntur.

AD MISSAM.

Intritus. *Ps. 47.*

Uscepimus, Deus, misericordiam tuam in médio templi tui : secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua. *Ps. ib.* Magnus Dōminus, et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. **V.** Glória Patri.

Oratio. Omnipotens sempiternè Deus, ma-

jestatem tuam supplices exoramus : ut, sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus ; ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eundem Dōmino nostrum.

Lectio Malachiae Prophetae. 3.

Hæc dicit Dōminus Deus : Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dōminus exercituum : et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis confans, et quasi herba fulforum : et sedebit confans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum : et erunt Dōmino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Dōmino sacrificium Juda, et Jérusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui : dicit Dōminus omnipotens.

Graduale. Ps. 47. Suscepimus Deus misericordiam tuam in médio templi tui : secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua. *Ps. ib.* Magnus Dōminus, et laudabilis nimis : in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. **V.** Glória Patri.

diam tuam in médio templi tui : secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ. **V.** Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Allelûa, allel. **V.** Senex puerum portabat : Puer autem senem regēbat. Allelûa.

Post Septuagesimam, omissis Allelûa, et *V.* sequenti, dicitur

Tractus. Luc. 2. Nunc dimittis servum tuum, Dñe secundum verbum tuum in pace. **V.** Quia viderunt oculi mei salutare tuum. **V.** Quod parasti ante faciem omnium populorum. **V.** Lumen ad revelationem gentium, et gloriā plebis tuæ Israel.

Seq. sancti Evangelii secundum Lucam. 2. c.

In illo tempore : Postquam implèti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Mōysi, tulerunt Jesum in Jérusalem, ut sisterent eum Dōmino, sicut scriptum est in lege Dōmini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Dōmino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Dōmini, par turturum, aut duos pullos columbæ-

rum. Et ecce homo erat in Jerusaleme, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum: Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tue Israel.

CREDO.

DIE III. FEBRUARII.

S. Basii EPISCOPI ET MARTYRIS.

MISSA. *Sacerdotes*, ut in Comm. unius Mart. Pont. p. [4].

DIE IV. FEBRUARII.

S. Andreae Corsini EPISCOPI ET CONF.

MISSA. *Statuit* ut in Communi Conf. Pontif. p. [21], præter Orationem seq.

Oratio. Deus, qui in Ecclesiâ tua nova semper instauras exemplum.

Offertor. *Ps. 44.* Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, et in sæculum sæculi. **Secreta.** Exaudi, Domine, preces nostras: et, ut digna sint munera, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per Dominum.

PRÆFATIO de Nativitate Domini, p. 246.

Communio. *Lucæ 2.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dñi.

Postcommunio. Quæsumus, Domine Deus noster: ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata Maria semper Virgine, et præsens nobis remedium esse facias, et futurum. Per Dominum nostrum.

DIE V. FEBRUARII.

S. Agathæ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Introitus.



Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Agathæ Virginis et Martyris: de cuius passione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei.

Ps. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. *V.* Glória Patri.

ORATIO. Deus, qui inter, p. [34].

Lect. *Epistolæ B. Pauli Ap. ad Corinth. 1 Cor. 1. d.*

Frateres: Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non gloriètur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso

autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriètur.

GRADUALE. *Adjuvabit eam*, p. [36] et loco ult. *V.* dicitur sequens.

V. Ps. 118. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebam. Allelúia.

Post Septuages. omissis *Allelúia*, et *V.* sequenti, dicitur *TRACTUS. Qui séminant*, p. [14].

EVANGELIUM. *Accesserunt ad Jesum*, de Comm. p. [37].

Offertorium. *Ps. 44.* Afferentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

SECRETÀ. *Sáscipe Dómine*, p. [35].

Communio. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, et manillum meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum.

POSTCOMMUNIO. *Auxilièntur*, p. [39].

DIE VI. FEBRUARII.

S. Citi EPISCOPI ET CONFESSORIS.

MISSA. *Statuit*, de Communi Conf. Pontif. p. [21], præter Orationem et Evangelium.

Oratio. Deus, qui beatum Titum, Confessorem tuum atque Pontificem, apostolicis virtutibus decorasti : ejus meritis, et intercessione concede; ut juste, et pie viventes in hoc sæculo, ad caelestem patriam

pervenire mereamur. Per Dominum.

Et fit Commem. Feriae, si celebretur in Quadragesima, et postea S. Dorotheae Virg. et Mart. Oratio. *Indulgentiam, ex Missa Me expellaverunt, p. [56].*

EVANGELIUM. *Designavit Dominus, ut infra, in Festo S. Marci Evang. die 25 Apr.*

EADEM DIE.

S. Dorotheae VIRGINIS ET MARTYRIS.

MISSA. *Me expellaverunt, de Communi, p. [36].*

DIE VII. FEBRUAR. **S. Romuadi** ABB.

MISSA. *Os justi, de Communi Abbatum, p. [32].*

DIE VIII. FEBRUARII.

S. Joannis de Mattha CONFESSORIS.

MISSA. *Os justi, de Communi Conf. non Pont. p. [28].* præter Orationem seq.

Oratio. Deus, qui per sanctum Joannem ordinem sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos caelitus insti-

tere dignatus es : præsta quaesumus ; ut ejus suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animæ, te adjuvante, liberemur. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Feriae, si venerit in Quadragesima.

DIE IX. FEBRUARII. **S. Cyrilli** EPISCOPI ALEXANDRINI, CONFESS. ET ECCLESIAE DOCT.

MISSA. *In medio, de Comm. Doctorum, p. [26].* præter Orationes sequentes.

Et dicitur *Credo.*

Oratio. Deus, qui beatum Cyrillum Confessorem tuum atque Pontificem, divinæ maternitatis beatissimæ Virginis Mariæ assertorem

invictum effecisti : concede, ipso intercedente ; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, materna ejusdem protectione salvemur. Per eundem Dominum nostrum.

Secreta. Múnera nostra, omnipotens Deus, beni-

gnus respice : et, intercedente beato Cyrillo, presta ; ut Unigenitum tuum Jesum Christum Dominum nostrum in tua tecum gloria coeternum, in cordibus nostris digne suscipere mereamur : Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio. Divinis, Domine, refecti mysterioris, te supplices deprecamur : ut exemplis deprecamur : ut exemplis et meritis beati Cyrilli Pontificis adjuti, sanctissimæ Genitricis Unigeniti tui digne famulari valeamus : Qui tecum vivit et regnat.

EADEM DIE.

S. Apolloniae VIRGINIS ET MARTYRIS.

MISSA. *Loquebar, de Communi, p. [34].*

DIE X. FEBRUAR. **S. Scholasticae** VIRG.

MISSA. *Dilecti, de Communi, p. [38].*

Oratio. Deus, qui animam beatæ Virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiam viam, in columbæ specie caelum penetrare

fecisti : da nobis ejus meritis et precibus ita innocenter vivere ; ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

Et fit Commem. Feriae, si venerit in Quadragesima.

DIE XI. FEBRUARII

SS. septem Fundatorum

ORDINIS SERVORUM B. MARIE VIRGINIS.

Introrsus. *Sap. 10.*



Usti decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter : quoniam sapientia aperuit os mutum, et linguas infantium fecit disertas. *Ps. 8.* Domine Dominus noster, quam

admirabile est nomen tuum in universa terra. *V. Gloria Patri.*

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ad recolendam memoriam dolorum sanctissimæ Genitricis tuæ, per septem beatos Patres nova Servorum ejus familia Ecclesiam tuam fecundasti : concede propitius ; ita nos e-

rum consociari stētibus, ut perfruamur et gaudiis: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Lectio Libri Sapientiae.

Eccli. 44.

Audemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua praediti, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, et imperantes in presenti populo, et virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt:

cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Graduale. Is. 65. Electi mei non laborabunt frustra, neque germinabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. *V. Eccli. 44.* Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem.

Alleluia, alleluia. *V.* Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. Alleluia.

Post Septagesimam, omissis *Alleluia*, et *V.* sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. *V.* Eunt ibant et flebant, mittentes semina sua. *V.* Venientes autem venient cum exultatione,

ne, portantes manipulos suos.

Tempore Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluia, alleluia. *V. Eccli. 44.* Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. Alleluia. *V. Ps. 36.* Non derelinquet Dominus sanctos suos: in aeternum conservabuntur. Alleluia.

Evangelium. *Eccc nos reliquimus omnia.* de Communi Abbatum. [33]

Offertorium. Is. 56. Adducam eos in montem sanctum meum, et laudificabo eos in domo orationis meae: holocausta eorum, et victimae eorum placebunt mihi super altare meum.

Secreta. Accipe, quaesum

mus Domine, hostias quas tibi offerimus, et praesta: ut, intercedentibus Sanctis tuis, libera tibi mente serviamus, et percolentis Virginis Genitricis Filii tui amore inflammemur. Per eundem Dominum.

Communio. Joann. 15. Ego vos elegi de mundo, ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat.

Postcommunio. Caelstibus relecti mysteriis te, Domine, deprecamur: ut quorum festa percolimus imitantis exempla: juxta Crucem Jesu cum Maria Matre ejus fideliter adstemus, et ejusdem redemptionis fructum percipere mereamur. Per eundem Dominum.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. Valentini PRESBYTERI ET MARTYRIS.

MISSA. *In virtute,* de Communi unius Mart. non Pont. p. [6], praeter Orationes sequentes.

Oratio. Praesta, quaesumus omnipotens Deus: ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

Secreta. Oblatis, quaesumus Domine, placare

muneribus: et, intercedente beato Valentino Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Postcommunio. Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis caeleste mysterium: ut, cuius exsequimur actionem, intercedente beato Valentino Martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum.

DIE XV. FEBRUARII.

SS. Faustini et Jovitae MARTYRUM.MISSA. *Salus autem*, ut in Comm. plur. Mart. p. [16].

DIE XVIII. FEBRUARII.

S. Simeonis EPISCOPI ET MARTYRIS.MISSA. *Státut*, de Comm. unius Martyr. Pontif. p. [2].

DIE XXII. FEBRUARII.

In Cathedra Antiochena S. Petri.

Omnia dicuntur sicut in Festo Cathedrae Romanae p. 379. ommissa Commemora-

tione S. Priscae, et fit Commemoratio Feriae, si venerit in Quadragesima.

DIE XXIII. FEBR. **S. Petri Damiani**

EPISCOPI, CONFESS. ET ECCLESIAE DOCTORIS.

MISSA. *In médio Ecclesiae*, de Communi Doct. p. [26].

Oratio. Concède nos, quæsumus omnipotens Deus : beati Petri, Confessoris tui atque Pontificis, mónita et exéempla sectári; ut per terréstrium rerum contém-

ptum ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriae, si venerit in Quadrages. et postea Vigiliæ S. Mathiae Apostoli, et dicitur *Credo*.

DIE XXIII. VEL XXIV. FEBRUARII.

IN VIGILIA **S. Mathiae** APOSTOLI.MISSA. *Ego autem*, de Communi in Vigilia unius Apostoli, p. [1].

¶ Si hæc Vigilia venerit in Quadrag. fit de ea tantum Commem. in Missa.

DIE XXIV. VEL XXV. FEBRUARII.

S. Mathiae APOSTOLI.INTROITUS. *Mihi autem*, p. 375.

Oratio. Deus, qui beatum Mathiam Apostolorum tuorum collegio sociasti : tribue, quæsumus; ut, ejus interventione, tuæ circa nos pie-

tatis semper viscera sentiamus. Per Dóminum. LECTIO Actuum Apostolorum. I. c.

IN diebus illis : Exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba homi-

num simul, fere centum viginti) : Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum; qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercéde iniquitatis, et suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea : et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptisate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam. Et

orantes dixerunt : Tu, Domine, qui corda nostri omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et apostolatus de quo prevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis; et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

GRADUALE. *Nimis honorati*, p. 375. Omisiss autem *Alleluia*, et Y. seq. dicitur Tractus *Desiderium*, p. [3]. Seq. sancti Evangelii secundum Matthæum. II. d.

IN illo tempore : Respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ; quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et inveniatis requiem animabus vestris. Jugum

enim meum suave est, et onus meum leve. **CREDO.**
Offertorium. Ps. 44.
 Constitues eos principes super omnem terram : memores erunt nominis tui, Domine, in omni progénie et generatióné.
Secreta. Hóstias tibi Dñe, quas nómini tuo sacrandas offerimus, sancti Mathiæ Apóstoli tui prosequatur oratío : per quam nos expiári facias, et defendi. Per Dñum.

Præfatio de Apost. p. 250.
Communio. Matth. 19.
 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, iudicátes duódecim tribus Israel.
Postcommunio. Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut, per hæc sancta, quæ sumpsimus, interveniénté beáto Mathiæ Apóstolo tuo, véniam consequámur, et pacem. Per Dóminum nostrum.

Festa Martii.

DIE IV. MARTII. S. Casimiri CONFESS.

MISSA. *Os iusti*, de Comuni Conf. non Pont. p. [28], præter Orationem seq.

Oratio. Deus, qui inter regáles delicias, et mundi illícebras, sanctum Casimirum virtúte constantiæ roborásti : quæsumus; ut ejus in-

tercessione fidéles tui terréna despiciant, et ad cælestia semper aspicient. Per Dóminum.

Et fit Comm. Feriæ, si venerit in Quadrag., et postea S. Lucii Pape et Mart. **Oratio. Deus qui nos**, ut in Missa: *Sacerdotes Dei*, de Comm. Mart. Pont. p. [4].

EADEM DIE. S. Lucii PAPÆ ET MART.

MISSA. *Sacerdotes Dei*, de Comm. Mart. Pont. p. [4].

DIE VII. MARTII. S. Thomae de Aquino CONF. ET ECCLESIAE DOCTORIS.

MISSA. *In medio*, de Comm. Doctorum, p. [26], præter seqq.

Et dicitur *Credo*.

Oratio. Deus, qui Ecclesiám tuam beáti Thomæ Confessoris tui mi-

ra eruditióné clarificas, et sancta operatióné fecúndas : da nobis, quæsumus; et quæ decuit, intelligéctum conspícere, et quæ egit, imitatióné

complére. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Feriæ, et postea SS. Perpetuæ et Felicitatis Martyrum, Oratio, *Da nobis*, p. [4].

Lectio libri Sapientiae.

Sap. 7.

Optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spiritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divitias nihil esse duxi in comparatióné illius : nec comparávi illi lápidem pretiosum : quóniam omne aurum in comparatióné illius aréna est exigua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illius. Super salútem et spécíem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inextinguibile est lumen illius.

Venerunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honestas per manus illius : et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecédébat me ista sapiéntia : et ignorábam quóniam horum ómnium mater est : Quam sine fictióné didici, et sine invidia comunico, et honestátem illius non abscondo. Infinitus enim thesáurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiaé Dei, propter disciplinæ dona commendáti.

Secreta. Sancti Thomæ Confessoris tui atque Doctóris nobis, Domine, pia non desit oratío : quæ et múnera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dóminum nostrum.

EADEM DIE.

SS. Perpetuæ et Felicitatis MART.

MISSA. *Me expellaverunt*, de Comuni, p. [42].

DIE VIII. MARTII.

S. Joannis de Deo CONFESSORIS.

MISSA. *Os iusti*, de Comuni Conf. non Pont. p. [28], præter Orationem et Evang.

Oratio. Deus, qui beátum Joánnem, tuo amore succénsus, inter flammás innoxium incédere fecisti, et per eum

Ecclesiám tuam novæ prole fecundásti : præsta, ipsius suffragántibus méritis; ut igne caritátis tuæ vitia nostra curentur, et remédia nobis ætéRNA provéniant. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, si venerit in Quadragesima.

Evang. *Accesserunt ad Jesum, ut in Dnica xvij. post Pentecosten, p. 339.*

DIE IX. MARTII.

Sanctæ Franciscae VIDUÆ ROMANÆ.

MISSA. *Cognovi, de Communi nec Virg. nec Martyris, p. [42]. præter Orationem sequentem.*

Oratio. Deus, qui beatam Francisca famulam tuam, inter cetera gratiæ tuæ dona, familiari An-

gell consuetudine decorasti: concede, quaesumus; ut intercessionis ejus auxilio, Angelorum consortii consequi mereamur. Per Dominum.

Et fit Commem. Feriæ, si venerit in Quadragesima.

DIE X. MART. SS. Quadraginta MART.

Introitus. Ps. 33.

Lamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Ps. *ib.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. V. Gloria Patri.

Oratio. Præsta, quaesumus omnipotens Deus: ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessionem sentiamus. Per Dominum.

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

EPISTOLA. *Sancti per fidem, de Comm. p. [19].*

GRADUALE. *Ecce quam bonum, p. 354. omnis*

Altitudo et ult. V.

TRACTUS. *Qui seminant, p. [14]. et EVANG.*

LIIUM. *Descendens Jesus, de Communi, p. [15].*

Offertorium. Ps. 31. *Lætami in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.*

Secreta. Sacrificiis præstantibus, quaesumus Domine, intende placatus: ut, intercedentibus sanctis Martyribus tuis, et devotioni nostræ proficiant, et salutem. Per Dominum.

Communio. *Matth. 12.* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dominus.

Postcommunio. Quaesumus, omnipotens Deus: ut illius salutâris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria dignus accepimus. Per Dominum.

DIE XII. MARTII. S. Gregorii

PAPÆ, CONFESSORIS ET ECCLESIE DOCTORIS.

INTROITUS. *Sacerdotes sal terra, de Comm. Doct. Dei, p. [4].*

Oratio. Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius; ut qui peccatorum nostrorum pondere premitur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum nostrum.

EPIST. *Testificor, p. [26].*

Graduale. Ps. 109. *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. V. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.*

TRACT. *Beatus vir, p. [29].*

EVANGELIUM. *Vos estis*

et dicitur Credo.

OFFERTORIUM. *Veritas mea, p. [24].*

Secreta. Annue nobis, quaesumus Domine: ut intercessionem beati Gregorii hæc nobis prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribulati relaxari delicta. Per Dominum.

COMMUNIO. *Fidelis servus, p. [23].*

Postcommunio. Deus, qui beatum Gregorium Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius; ut qui commemoracionis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dñum.

DIE XVII. MARTII.

S. Patritii EPISCOPI ET CONFESSORIS.

MISSA. *Statuit, de Comm. Conf. Pontif. p. [21]. præter Orationem sequentem.*

Oratio. Deus, qui ad prædicandam gentibus gloriam tuam, beatum Patritium, Confessorem atque Pontificem, mit-

tere dignatus es: ejus meritis et intercessionem concede; ut, quæ nobis agenda precipis, te miserante adimplere possimus. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Comm. Feriæ.

DIE XVIII. MARTII. S. Cyrilli EPISCOPI HIEROSOLYMITANI, CONF. ET ECCLESIE DOCT.

MISSA. *In medio, de Comm. Doctorem, p. [26]. præter seqq.*

Oratio. Da nobis, quaesumus omnipotens Deus,

beato Cyrillo Pontifice intercedente, te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, ita cognoscere; ut inter oves, quæ vocem ejus audiunt, perpetuo connumerari mereamur. Per eundem Dominum.

EPISTOLA. *Fustus cor suum*, ut in Comm. Doctor. ii. loco, p. [28].

EVANGELIUM. *Cum persequatur vos*, ut infra, in Festo S. Athanasii, die 2. Maii. Et dicitur *Credo*.

Secreta. Respice, Domine, immaculatam hó-

stiam, quam tibi offerimus; et præsta; ut méritis beati Pontificis et Confessoris tui Cyrilli, eam mundo corde suscipere studeamus. Per Dominum.

Postcommunio. Sacramenta Corporis et Sanguinis tui, quæ sumpsimus, Domine Jesu Christe, beati Cyrilli Pontificis precibus, mentes et corda nostra sanctificent: ut divinæ consortis naturæ effici mereamur: Qui vivis.

DIE XIX. MARTII. **S. Joseph** CONFESS. SPONSI BEATÆ MARIE VIRGINIS.

Introitus. Ps. 91.



Ustus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atris domus Dei nostri. *Ps. ibid.* Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo Altissime. V. Glória Patri, et Filio.

Oratio. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, méritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur: Qui vivis et regnas, cum Deo Patre.

In Quadrag. fit Comm. Feriæ.

Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. 45.*

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum: et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ.

Graduale. Ps. 20. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. V. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitüdinem dierum in sæculum sæculi.

Tractus. Ps. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. V. Glória, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Temp. Paschali, omissis Grad. et Tractu, dicitur:

Allelúia, allelúia. V. Amávit eum Dominus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúia. V. Justus germinábit sicut lilium: et florébit in zétérnum ante Dominum. Allelúia.

¶ In Missis votivis post tempus Pasch. usque ad Septuagesimam.

Graduale. Ps. 20. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. V. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitüdinem dierum in sæculum sæculi.

Allelúia, allelúia. V. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúia.

Seq. sancti Evangelii secundum Matthæum. 1. c.

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in itinero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in sommis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta. Dëbitum tibi, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes: ut, suffragiis beati Joseph, Sponsi Genitricis Filii tui Jesu Christi Domini nostri, in nobis tua mûnera tuearis; ob cuius venerandam festivitatem laudis tibi hostias immolamus. Per eundem Dominum.

Communio. *Matth. 1.* Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, **Postcommunio.** Adesto nobis, quæsumus misericors Deus : et, intercedente pro nobis beato Joseph Confessore, tua

circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum nostrum.

¶ Si Festum S. Joseph occurrerit in Dominica Passionis, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem; et quoties inciderit in majorem Hebdomadam, reponendum erit in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria.

DIE XXI. MARTII. S. Benedicti ABBAT.

MISSA. *Os justi*, de Comuni Abbatum, p. [32].

¶ De Festis duplicibus quæ transferri possunt, et veniunt a Dominica Palmarum usque ad Octavam Paschæ, nihil fit; sed post Octavam celebrantur : et tunc in fine Introitus ante Psalmum dicuntur duo *Aleluia*, et in fine Offertorii et Communionis, unum *Aleluia*. Post Epistolam non dicitur Graduale, sed dicuntur duo Versus cum quatuor *Aleluia*, ut notatum est in

Sabbato in Albis p. 271. Et hoc idem observatur in omnibus Festis, quæ celebrantur inter Pascha et Pentecosten.

De Duplicibus vero quæ transferri nequeunt, et de Semiduplicibus occurrentibus in Dominica Palmarum, ultimo triduo Hebdomadæ majoris et triduo Paschæ nihil fit : reliquis diebus a Dominica Palmarum usque ad Octavam Paschæ inclusive, fit de eis tantum Commemoratio.



Magnificat anima
mea Dominum

DIE XXV. MARTII.

In festo Annuntiationis
beatae Mariae Virginis.

Introitus.



Ps. 44.

U l t i m
tuum de-
preca-
buntur
omnes di-
vites ple-
bis : ad-
ducuntur Regi virgines
post eam : proximæ ejus
adducuntur tibi in lætitia
et exultatione. *Ps. 44.*

Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi. *V. Gloria Patri, et Filio.*

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem.

Si celebretur in Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Léct. *Isaia* Proph. 7. 6.

I n diébus illis : Locutus est Dóminus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dóminus. Et dixit : Audite ergo domus David : Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, et páriet filium, et vocabitur nomen ejus Emmánuel. *Bútyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.*
Graduale. *Ps. 44.* Diffusa est grátia in lábiis tuis : propterea benedixit te Deus in ætérnum. *V. Propter veritatem, et*